

S V M M A.

ticipiam, sincera dilectione, demereamur quoslibet, fidei
 uero consortes, quo nos Christus affectu complexus est,
 ut membra nostra complectamur. Utq; non modo inoffen-
 se, sed copioso cum fructu, gloriae Dei iuxta ac proximo-
 rum saluti studere & incumbere liceat, ne scilicet in ua-
 cuum gratiam Dei accepisse uideamur, & uituperari mi-
 nisterium nostrum contingat, diuini timore iudicij nos ex-
 citat, & contra nos ipsos armat, ne ex nostro arbitrio
 quicquam agamus, semper intenti, ut carnem nostram cū
 uitijs & concupiscentijs, crucifigamus, reprimentes ui-
 spiritus, omnes & sensus & affectus, qui in nobis non ex
 uerbo Dei proueniunt. Per hunc demum spiritum filio-
rum, quem nobis Christus ut meruit, ita à patre quoq; mit-
tit, acclamamus, Deo optimo maximo, misellilicet homun-
culi, Abba pater, certi cum peccata omnia iam nobis con-
 donasse, uniuersa in nostram salutem attemperare, deniq;
 ut patrem indulgentiss. nostriq; amantissimum decet, no-
 stri sollicitudinem, donec omni peccato & mortalitate ex-
 emptos, plane beatos, ac gloriae suae consortes reddiderit,
 nunquam ponere. Inde securi, quicquid incidat, liberi o-
 mnium, laeti et alacres, in gratiam ipsius, proximis, dum
 hic peregrinandum est, ad bonum, uiuentes atque studi-
 osissime inseruientes, expectamus aduentum Domini &
 redemptoris nostri I E S V Christi, qui transfigurabit
 corpus humilitatis nostrae, ut conforme fiat corpori glo-
 riae suae. Si namq; interdum calice irae suae, è quo nemo nō

A 4

bibit,

*Calix in
Dij*